

Hincmarum Laudunensem Episcopum, & Rothardum Sueffonensem Antisitem parum humaniter gessit, aperte probant, eum in plerisque haud recte incepisse, & ambitionis astu abrepsum, saepe quæ sua erant quæsiisse, non quæ Iesu Christi.

Amolo primum Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, postea Agobardo ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo succedit. A partibus Hincmari Remensis Archiepiscopi adversus Gothescalcum stetit, & gravissimam ad illum Monachum dedit Epistolam, qua eum vehementer adhortatur ut ad saniores mentem redeat. Hanc Amolonis Lugdunensis Archiepiscopi ad Gothescalcum Epistolam, quam primus in lucem extulit Sirmondus, exhibet una cum aliis ejusdem Archiepiscopi scriptis de Gratia & Prædestinatione Vir Clarissimus Mauguinus Tomo secundo libri Vindiciorum Prædestinationis & gratie. Scriptis idem Amolo eruditam Epistolam ad Theobaldum Episcopum Lingonensem, qui eum consuluerat de Reliquis incertis, nec probatis, quas quidam Monachi vagi, quasi ex Urbe Roma allatas Divione in Basilica Sancti Benigni deposuerant. Respondit Amolo, ejusmodi Offa, quæ illi Monachi (quos viles & nequam homunculos appellant) asportaverant, & quæ nulla auctoritate nefcio cuius Sancti esse dicebantur, omnino de loco celebri & de Ecclesia esse tollenda, atque in secreto loco apto & mundo sub paucorum conscientia esse sepelienda, ne rubibus populis occasio erroris & superstitionis existenter. Addit insuper, se aliquoties vidisse, homunculos & mulierculos, quæ coram Agobardo decessore suo dæmoniacas se esse simulabant, sed cum plurimis verberibus disstringerentur, confessim de miserrima simulatione confessas & necessitates atque egestates suas, quibus supplendis talia ostentavant, publice exponentes, ab omni invasione dæmoniacâ liberas, ut revera erant, apparuisse. Certe si hoc non minus salutari, quam efficaci verberum remedio, in præsentia uterentur hi, quibus hos abusus de medio tollere ex officio incumbit, non tot profecto viderentur etiamnum mulierculæ, quæ, ut facilius pecuniam a simplicibus obtinere possint, sese in Ecclesiæ horrendis clamoribus, & insolita corporis, omniumque membrorum agitatione dæmoniacas mentiuntur. Liber contra Judeos, quem Pater Chiffletius sub Rabani Mauri Archiepiscopi Mogontini nomine publicavit, est genuinus Amolonis Archiepiscopi Lugdunensis fœtus, tum quia hunc librum Tribenius diserte ei tribuit; tum etiam quia in quibusdam MSS. Codicibus extat hic liber Amolonis nomine inscriptus.

Remigius Sacri Palatii Lobiæ Imperatoris primum Archicapellanus, dein Amolonis in Sede Lugdunensi successor, doctrinæ Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione fuit egregius assertor ac defensor, ad quam tuendam scriptis nomine Ecclesiæ Lugdunensis librum de tribus Epistolis, cui alterum adjunxit instar Appendix sub hoc titulo: Absolutio cuiusdam Questionis de generali per Adam damnatione, & speciali per Christum ex eadem reptione Eleitorum. Edidit etiam Sanctus

Remigius librum de tenenda Scripture veritate & SS. Orthodoxorum Patrum auctoritate fideliter sectanda. Habentur tria Opuscula pro defensione doctrinæ Sancti Augustini a Sancto Remigio elaborata apud Clarissimum Gilbertum Mauguinum part. 2. Tomo 1. libri Vindiciorum Prædestinationis & Gratiae.

Florus Ecclesiæ Lugdunensis Diaconus, vulgo Magister appellatus, doctrinæ itidem Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione fuit acerrimus propugnator. Eam ob rem multas propositiones ex libro a Joanne Scoti Erigena contra Gothescalcum scripto excerptas, atque virulentam Pelagi & Juliani redolentes doctrinam, nomine Ecclesiæ Lugdunensis edito libro confutavit, ibidemque Prædestinationanam hæresim, quam nonnulli discipulis Sancti Augustini perpetrata affingebant, fictitiam esse diserte assertit. Hunc Flori librum adversus Joannem Scotum Erigenam de præsencia, Prædestinatione, & libero arbitrio scriptum Clarissimus Præses Gilbertus Mauguinus ex MS. Codice Corbejensi edidit cum aliis Operibus Autorum, qui nono Ecclesiæ sæculo de Gratia & Prædestinatione scriperunt. Composuit etiam Florus Martyrologium, quod sub nomine Venerabilis Bede inter ejus Opera legebatur; antequam Bollandus initio Tomi secundi Sanctorum mensis Martii, ea, quæ Flori sunt, minori charactere distinxisset ab his, quæ ad Bedæ Martyrologium pertinent (a). Dubitarunt nonnulli, an Collectaneum in omnes Sancti Pauli Epistolas Floro Ecclesiæ Lugdunensis Diacono esset tribendum? At doctissimus Mabillonius in Disquisitione singulari Tomo I. Veterum Analectorum omnem prorsus removet dubitationem, pluribusque probat, Collectaneum sub nomine Bedæ vulgatum Floro Ecclesiæ Lugdunensis Diacono esse adjudicandum. Plura de Floro legendis apud eruditum Baluzium, qui initio Operum Agobardi, quæ euulgavit, Elogia Flori ex variis auctoribus collegit; & apud Casimirum Oudinum in supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis ubi de Flori Operibus accurate disserit.

(a) Non ambigunt modo viri docti Martyrologium, quod veteres Floro adscribunt, nihil aliud fuisse, quam inducta ab eo additamenta ad Bedæ Martyrologium. Ut ea distinguenter a sincero Bedæ allaborarunt Bollandiani Patres in Tom. II. Mensis Martii; sed frustra illi tunc. Venit territus alius, scilicet P. Sollerius, ex quo habemus Usuardi Martyrologium editum in Tomo I. & II. Supplementum ad mensem Junium, atque ipse pariter eundem laborem resumpit, distinguendi scilicet ea, quæ Bedæ sunt, ab additionibus Flori. Num ille punctum artigerit, in medium relinquunt doctissimi Historiæ Litterariæ Gallicanæ Scriptores Tom. V. pag. 227.

Lupus Servatus Ordinis Sancti Benedicti Monachus, & postea Abbas Ferrarensis, doctrinam Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione pro aris ac focis tutatus est. Ille quippe a Carolo Calvo Francorum Rege requisitus, quid de tribus istis Questionibus, videlicet de Prædestinatione,

zone, de libero arbitrio, ac de Redemptione Sanguinis Christi sentire? Quidquid in divinis litteris didicerat & in Sanctorum Patrum Operibus invenerat, ejus Majestati strictum, ut ipsemet testatur in Epistola ad eundem Regem, aperuit; librumque ea de causa compositum, cui titulus est: de tribus Questionibus. Eodem tempore idem Lupus alium librum de iisdem tribus Questionibus ad Carolum Calvum scriptis, atque Collectaneum edidit, quo Sanctorum Patrum testimonia de gemina Prædestinatione, de libero arbitrio & de Sanguine Christi, quo pacto scilicet pro omnibus sit effusus, sedulo complexus est. Negat quidem in istis Opusculis Lupus Servatus, Christum mortuum esse pro omnibus omnino hominibus, sed id negavit in sensu Catholicæ, voluitque dumtaxat Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, ita ut beneficium mortis ejus atque fructus in omnes aqæ derivetur. Nunquam tamen negat, sed potius docet, Christum pro totius Mundi peccatis Sanguinem suum, qui in se habet ut omnibus proficit, obtulisse, atque quantum ad illam pretii & voluntatis erga omnium salutem sincere affectæ sufficientiam tam esse mortuum Christum pro omnibus, quam omnes in Adam mortui sunt. Hanc esse veram & genuinam Lupi Servati Abbatis Ferrarensis mentem diserte ostendit Natalis Alexander Dissertatione V. in Historiam sæculorum IX. & decimi (a).

(a) Eidem Lupo opuscula alia tribuenda, constat ex collectione operum ejusdem a Baluzio adornata, editaque Parisiis anno 1664. uti Vita S. Wigberti, & alia S. Maximini Treverensis, de qua tamen plures ambigunt. Vide hist. litter. Gall. tom. V. pag. 267. & in hunc S. Maximini Homilias geminas, de quibus pariter ambigendi locus est. Vid. ibi dem.

Lupi Servati Abbatis Ferrarensis pro defensione doctrinæ Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione vestigia pressit Prudentius Episcopus Trecensis. Is siquidem librum scriptis contra venetam Joannis Scoti Erigenæ doctrinam ex Pelagio, & Juliano haustam, Antidotumque conficit e Sanctorum Patrum sententiis, Hieronymi præcipue, Augustini, Fulgentii, & Gregorii. Negat etiam Prudentius in hocce libro in Deo voluntatem salvandi omnes homines, sed de voluntate absoluta, & consequente, ut Theologii vocant, non de conditionata, & anteecedente in sensu Thomistico accepta intelligentus est. Demum, totius Operis sui recapitulationem subiicit Prudentius continentem lxxvi. Joannis Scoti Erigenæ propositions cum brevissimis Responsionibus ad utilitatem eorum, qui totum librum non legerant, & ad eorum, qui legerant, juvandam memoriam. Hi sunt in summa celebriores Scriptores, qui in Controversia nono Ecclesiæ sæculo occasione doctrinæ Gothescalci de gemina Prædestinatione, de libero arbitrio, & de voluntate Dei salvandi homines excitata Ecclesiæ variis editis Scriptionibus illustrarunt (a).

Cum Jona Aurelianensi Episcopo consentit Dungalus reclusus Monasterii Sandionysiani in agro Parisiensi, cuius liber pro defensione cultus Imaginum contra Claudium Taurinensem Episcopum

Hæreticum Iconoclastam a Papio Massone primum editus est. In hoc libro Dungalus Crucem Domini, & ejus, Sanctorumque Imagines, ac sacras Reliquias congruo, fidei, & religioso cultu laudare, diligere, ac venerari debere Christianos probat, & hæreticum illum Antistitem luculentissimis Sanctorum Patrum testimoniis oppugnat. Qua in re valde mirari subit, qua fronte Dalleus, aliquo Heterodoxi autoritate Dungali contra Imaginum cultum abutii audeant, cum potius illorum errorem aperte confidiat, sicut data opera evincit Natalis Alexander Dissertatione vi. in Historiam facul.

viii. paragr. xiv. (a)

(a) Quæ hic de Dungalo Monacho Recluso apud Parisium habentur tanquam auctore operum adversus Claudio Taurinensem, in duum a Muratorio revocantur, cum alius extiterit per hæc tempora fama celebris Dungalus in Capitulari quodam Lotharii I. ab eodem Muratorio vulgato commemoratus. In eaenim lege stabiliuntur per Italiam Scholæ, quo ad studia literarum convenienti e vicinis locis posset. Sic igitur ibi de Ticino: *In Papia convenientiant ad Dungallum, de Mediolano, de Brixia &c. En igitur Dungallus Magister ea etate, qua & Claudius Taurinensis celebris. Hic profecto aptior erat ad refutandos Claudi errores, utpote hospitio vicinior, & occasionem habebat paratiorem, quam idem Dungalus in Præfatione causam suisse sibi scribendi afferit: Occasio mibi copiosa bac de re reclamandi mibi occurrit &c. Affert quidem Mabillonius in Elogio Dungali dato in ejus Annal. ad annum 827. Epitaphium Dungalo Recluso positum carmine expressum; sed potuit & aliis esse ejusdem nominis vir, qui tamen alias fuerit ab Auctore præsentis operis; id enim sane magis Magistro in artibus quam Monacho Recluso convenient.*

Præter memoratos haec Scriptores, quos in dirimendis Controversiis in Galliis nono Ecclesiæ saeculo excitatis, floruisse diximus, nonnulli alii extiterunt, Scriptores Ecclesiastici, qui doctrina & pietate Gallias eodem saeculo illustrarunt. Theodulfus, quem alii Italum, alii Hispanum suisse putant, a Carolo Magno in Gallias accitus, & Aurelianensi Episcopatu donatus, scripsit librum de Ordine Baptismi ad Magnum Senonensem Archiepiscopum, librum *Testimoniorum de Spiritu Sancto*, ad Carolum Magnum, in quo Sanctorum Patrum testimonis probat, Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere. Scriptis insuper Capitulo ad Presbyteros sua Dioceſeos, quibus ipsos docet, quo pacto creditam sibi plebem instituere, & ejus in vita Christiana profectum curare ac promovere debeant. Varia etiam composuit carmina, quorum nonnulla antehac inedita vulgavit Mabillonius Tomo 1. Veterum Analectorum. Herardus Turonensis Episcopus ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam Presbyteris suis anno 858. in Synodo congregatis Capitula cxl. ex corpore Sanctorum Canonum excerpta tradidit, quæ extant inter Baluzii Capitularia Tomo 1. Walterius Aurelianensis Episcopus Capitula quadam sue Diceſeos Presbyteris in Synodo apud Bullensem fun-

dum habita præscripsit, quæ extant tomo VIII. Conciliorum Editionis Labbeanæ cum Notis Celsitii Societatis Jesu, eaque cum Caroli Magni Imperatoris Capitularibus, & cum Capitulis Theodulfi Aurelianensis, & Herardi Turonensis magna ex parte convenienti, Æneas sacri Palatii Notarius, & postea Parisiensis Episcopus librum scripsit aduersus objectiones Græcorum, quem Lucas Dachierius edidit tomo VII. Spicilegii. Theganus Amalarius, & Hettii Episcoporum Trevirensium Choropeſcopus & suffraganeus scripsit, teste Walafrido Strabone, Annales de gestis Ludovici Imperatoris, quos una cum Walfridi Præfatione primum Petrus Pithœus, deinde Andreas Duchesnus inter Scriptores Francicos ediderunt. Thegano suppare fuerunt Eginhardus, & Nithardus, quorum primus in Regia aula Caroli Magni versatus, mortua, quam duxerat, uxore Imma, genere & virtute illustri, Regulam Sancti Benedicti professus, in multis Monasteriis Abbas fuit, scripsitque Vitam Caroli Magni Imperatoris. Circumferuntur etiam sub ejusdem Eginhardi nomine Annales Francorum ab anno Christi 741. usque ad annum DCCXXXVIII. quos tamen ab Eginhardo editos fuisse certo affirmare non audeo, cum hac de re peritos inter Criticos necdum conveniat. Andreas siquidem Duchesnus tomo II. Collectionis Historie Francorum, hos Annales Eginhardus, ut vero & legitimo parenti vindicat, aitque stylum illius Annalistæ tam genuine cum Vita Caroli Magni Imperatoris, cuius Auctor est Eginhardus, convenire, ut utrumque librum ab uno & eodem auctore scilicet Eginhardo fuisse scriptum quicunque possit agnoscere. Sententiam suam Duchesnus Lambecio, Natali Alexandre, aliquisque viris eruditis persuasit. At Carolus Cointius in Annales Ecclesiæ Francorum ad annum DCCLXXIV. contendit, horum Annalium Auctorem non esse Eginhardum, sed Monachum Laureshamensem, & hac de causa predictos Francorum Annales nunquam sub Eginhardi nomine laudat, sed eos semper appellat Laureshamenses. In re igitur tam dubia, cum ipse ariolari nolim, ejusmodi Annales ab incerto auctore prodisse probabilius judico. Alia Opera, quæ edidit Eginhardus, accurate percensit Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. Nithardus Ordinis S. Benedicti Monasterii Centulensis Abbas, teste Hariudo in Chronico Centulensi, scripsit quatuor libros de Dissensione filiorum Ludovici Pii Imperatoris ad annum usque DCCXLIIII. jubente Carolo Calvo Francorum Rege, cui & illud Opus nuncupavit. Editi sunt quatuor isti libri ab Andrea Duchesnio tom. II. Scriptorum Histor. Francorum. His clarissimi Scriptoribus, qui nono saeculo in Galliis floruerunt, jure ac merito adjungere debemus Haligerum Episcopum Cameracensem & Atrebatensem, Adonem Viennensem Archiepiscopum, Isaacum Lingonensem Antistitem, & Freculphum Luxoviensem in Provincia Rotomagensi Episcopum. Scriptis Haligerus Opus de vitiis & virtutibus, Remediis peccatorum, & ordine vel iudiciis penitentia sex libris absolutum. Horum sex librorum priores quinque jam ediderat Henricus Canisius tomo I. Antiqu. lect. ex MS. Cod. Bibliothecæ Monasterii Sancti Galli;

Galli; sextum vero librum, qui nihil aliud est, quam Ecclesiæ Romanæ Liber Penitentialis, editid Hugo Menardus Benedictinus Congregacionis Sancti Mauri in Notis ad Sancti Gregorii Magni Sacramentarium. Ad Ordinis Sancti Benedicti in Cœnobio Ferrarensi Monachus, sicut demonstrat Mabillonius parte II. saeculi IV. Benedictini, & postea Vienensis in Galliis Episcopus, Martyrologium condidit, quod una cum veteri Martyrologio Romano publici juris fecit Rosweidus Societas Jesu (a). Edidit etiam idem Ado Chronicon ab exordio Mundi, ad annum usque Christi DCCCLXXII. quod postea ab alio auctore fuit continuatum. Scripsit quoque Vitam Sancti Desiderii Viennensis Episcopi, quæ ab Henrico Canisio tomo VI. antiqu. lect. edita est, & Vitam Sancti Théuderii Abbatis, Viennensis, quæ in Appendice saeculi I. Benedictini inserta est. Isaac Lingonensis Episcopus Collectionem Canonum adornavit ex Decretis Synodorum, quæ a Sancto Bonifacio Moguntino Episcopo, Sedis Apostolice per Germaniam, & Gallias Legato fuerunt congregatae, & ex Capitularibus Regum Francorum. Hanc Canonum Collectionem primus in lucem edidit Sirmundus tomo III. Concil. Gallæ. Ejusdem etiam Isaac Lingonensis Epistolam de Canone Missæ edidit Lucas Dachierius tomo I. Spicilegii. Denique Freculphus Monachus primum Fuldensis, Ordinis Sancti Benedicti, & postea Luxoviensis in Provincia Rotomagensi, Episcopus, scripsit Chronicon a mundi exordio usque ad annum DC. in duas partes distributum. Primam partem, quæ septem libris constat, ad Christum usque produxit, & Elizachari Abbat dicavit: Alteram partem, quæ a Christo usque ad annum circiter sexcentesimum protenditur, in quinque libros partitus est, eoque Judith Auguste Ludovici Pii Imperatoris conjugi, & Caroli Calvi Matri nuncupavit.

(a) Pigeret hic præterisse Adonis martyrologium ab additamentis, quæ sensim passum est, purum & sincerum modo extare opera Cl. Dominici Georgii Rodigini, viri, dum viveret, mihi amicitia conjuncti, quem præpropere ante nos nonnullos raptum eruditum dolent. Prodiit ejus opus Romæ an. 1745. tom. I. fol.

D. Hi sunt igitur omnes Scriptores, qui nono Ecclesiæ saeculo in Galliis floruerunt?

M. Sunt & nonnulli alii doctrina & pietate illustres, qui Monasticam vitam professi eruditis suis Operibus de Ecclesiæ & de Monastica disciplina in Galliis nono saeculo optime meriti sunt. Primas inter illos tenet Sanctus Benedictus in Septimanianus natus, & Abbas Monasterii Anianensis, ita denominati a rivo Aniana, ubi Sanctus Benedictus cellam primum erexit, ac post aliquot annos Monasterium Ananiense ab eodem rivo sic appellatum, & Sancto Salvatori dicatum ædificavit. Disciplinam Monastica, quam in suo Monasterio Anianensi instituit, in varia Gallia ac Germania Cœnobia postea feliciter propagavit, ut Gellonenſe a S. Willemo comite excitatum, Mosciacense in Biturigibus ab Egone Comite conditum; Indense, aliaque non pauca.

Hilduino addi merito debent tres alii Abbates, qui doctrina, & pietate illustres nono Ecclæ

six s^{ec}culo in Galliis claruerunt, nimirum *Smaragdus* Abbas Sancti Michaelis in Episcopatu^m Virdunensi; *Ansegius* Abbas Luxoviensis, & Fontanellensis, & *Regino* Abbas Monasterii Prumensis. *Smaragdus* præclaris virtutibus & libris in lucem editis clarissimus fuit. Tria ab eo edita Opuscula memorat *Honorius Augustodunensis* Presbyter lib. 4. De Scriptoribus Ecclesiasticis, scilicet *Commentarium in Evangelia*, & *Epistolas* in Divinis Officiis per anni circulum legendas ex Sanctis Patribus collectum. *Diadema Monachorum* ex Sanctis Patribus contextum, & *Grammaticam Majorem*, seu *Commentarium in Donatum* libros xiv. Adhac, *Lucas Dacherius* Tomo v. Spicilegii aliud *Smaragdi* Opus edidit Capitibus xxxi. distinctum, cui Titulus: *Via Regia*. De aliis *Smaragdi* Operibus legendum est *Mabillonius* Tomo ii. Analect. ubi etiam accurate observat, male a *Labbeo* in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & a nonnullis aliis Scriptoribus hunc *Smaragdum* confundi cum *Ardone cognomento Smaragdo*, qui, ut superius diximus, Vitam Sancti Benedicti Abbatis *Anianensis* descripsit.

Ansegius quatuor edidit libros. *Capitularium tam Caroli Magni*, quam *Ludovici Pii Imperatorum*, quos tres sequuntur Appendices, de quibus fuse differit *Carolus Cointius* in *Annalibus Ecclesiæ Francorum* ad annum 828. Sed quoniam *Ansegius* in hac *Capitularium Collectione plurima Caroli Magni ac Ludovici Pii Capitularia prætermisit*, & a *Constitutionibus Pippini*, & *Carlomanni*, quarum usus frequens erat, referendis abstinuerat, *Benedictus Levita Moguntinus* hanc in se curam suscepit, & omnia Capitularia in unum collegit, atque in tres libros distribuit.

Regino Monasterii Prumensis anno octingentimo nonagesimo secundo Abbas electus, composuit duos Chronicorum libros ad annum Christi nongentesimum octavum productos, quos quidam *Anonymous* Scriptor continuavit usque ad Orthomen II. qui imperare cepit an. nongentesimo septuagesimo tertio. Duos alias libros edidit *Regino* de Ecclesiasticis Disciplinis & Religione Christiana, quos eruditus *Baluzius* publici juris fecit, & Notis illustravit.

Ab his illustribus Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus sejungi non debent aliqui ejusdem Ordinis Monachi, qui doctrina & pietate in Galliis nono Ecclesiæ seculo floruerunt, quoque hic breviter indicare non pigebit. In Cœnobio Sancti Germani Parisiensis tres insignes extiterunt Monachi, scilicet *Usuardus*, *Aimonius*, & *Abbo*, quorum primus, seu *Usuardus* imperante *Carolo Calvo* suum scriptit *Martyrologium*, cuius antiquissimum exemplar Parisiis in Bibliotheca San Germanensi etiamnum asservari testatur *Mabillonius* in Praefatione partis ii. s^{ec}uli iv. Benedictini.

Martyrologio Usuardi aucto Romana Ecclesia usq; ante recentius Romanum, teste *Joanne Molano* in Praefatione ad *Martyrologium Usuardi*. Quin & in variis Galliarum Ecclesiis adhuc *Martyrologium Usuardi* legitur. *Aimonius* scripsit duos libros de *Inventione & Translatione Corporis Beati Vincentii Levite ac Martyris ex Hispania* ad Monasterium *Castri* in Diœcesi Albigensis facta. Libros insuper duos composuit de *Miraculis Sancti Germani Episcopi Parisiensis*, Liber de *Translatione Sanctorum Martyrum Georgii Monaci, Aurelii, & Natalie*, & libris duos de eorum Miraculis, quos *Mabillonius* inserit s^{ec}ulo iv. Benedictino. Hallucinantur nonnulli, qui hunc *Aimonium* confundunt cum altero *Aimone Floriacensi* Monacho, qui s^{ec}ulo xi. vixit, ac libros quinque de gestis Francorum scripsit. Qua de re legendus est *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Abbo* edit duos libros de obſidione *Urbis Parisiensis* a Normannis an. octingentesimo octogesimo sexto facta. Extant etiam sub ejusdem *Abbonis* nomine *Sermones V.* a *Luca Dacherio* primum editi Tomo ix. Spicilegii. Confundi non debet iste *Abbo*, sicut *Auberto Mirao* & aliis nonnullis per errorem obrepit, cum altero *Abbone*, *Floriaciensi* Abbate & Martyre, qui obiit initio undecimi s^{ec}uli, seu anno millesimo quarto, ut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam undecimi Ecclesiæ s^{ec}uli. Denique, in Monasterio Corbejensi celebres fuerunt *Abelardus*, & *Christianus Drutmarus*. Scriptit *Abelardus* liberum de *ordinis Palatii*. Præscriptit etiam Monachis Corbejensibus quædam statuta, quorum fragmenta *Lucas Dacherius* edidit Tomo iv. Spicilegii. Eiusdem *Abelardi* quinquaginta duo Capita de *Admonitionibus in Congregatione*, idest summaria rerum, quas Monachis inter concionandum inculcare solebat, edidit *Mabillonius* ad calcem part. i. s^{ec}uli iv. Benedictini. *Christianus Drutmarus*, græce ac latine peritus, sacrificus litteris eruditus, scriptit Commentarios in *Evangelia Mathei, Joannis, & Luca*, sed commentarii in *Evangelium Mathei* adhuc integri perstant, Commentariorum vero in *Evangelia Joannis & Luce* superfluit dumtaxat fragmenta, quæ una cum *Christiani Drutmari* Commentariis in *Evangelium Mathei* extant Tomo xv. Editionis Bibliothecæ Patrum Lugdunensis. Denique in Monasterio Luxoviensi in Burgundia clavuit *Angelomus*, qui *Stromata*, seu Commentarios in iv. libros *Regum*, & in liberum *Canticorum ex veterum Patrum* scriptis contexuit. Extant *Angelomi Opera* Tomo xv. Bibliothecæ Patrum.

D. Certe nunc video, Galliam nono Ecclesiæ s^{ec}culo sicut in exordio hujusc^e Colloquii me sapienter præmonisti, præ cæteris aliis Nationibus Viris illustribus abundasse. Percurramus modo, si placet, alias insignes Scriptores, qui in Italia, Germania, Hispania, & Anglia nono Ecclesiæ seculo doctrina & pietate floruerunt.

M. Tres potissimum in Italia nono Ecclesiæ s^{ec}culo celebres fuerunt Scriptores, nimirum *Anastasius*, *Guillelmus*, & *Joannes Diaconus*. Primus, seu *Anastasius* fuit Abbas Romanus, S. R. E. Bibliothecarius, in divinis Scripturis eruditus, in sacerdotalibus litteris nobiliter doctus, græco, & latino multum peritus eloquio. Historiam de

de Gestis Romanorum Pontificum composuit, quam in *Nicolao I. Pontifice Maximo* terminavit, ut testatur *Onuphrius* in Notis in *Platinam* ad *Nicolau I.* ubi hæc habet: ad hunc usque *Nicolau Romanorum Pontificum Vitas*, quæ adhuc apud me sunt, scriptit *Anastasius Monachus S. R. E. Bibliothecarius*. Quæ sequuntur consignavit *Guillelmus quidam alter Bibliothecarius*, quæ in libro, qui sub *Damasi nomine circumfertur*, extant (a). Multa insuper Græcorum volumina latine reddit *Anastasius*. Historiam Ecclesiasticam ex Chronologia Tripartita Sancti Niciphi Constantinopolitan, *Gregorii Syncelli*, & *Theophani* latine interpretatus est. *Collectanea* etiam contexuit, seu varias Epistolas, & Relationes, Historiam Monothelitarum spectantes colligit, quas *Sirmondus* in lucem emisit Parisiis anno MDCXX. Vitam quoque *S. Demetrii Martyris* ab eodem *Anastasio* e Græco latine redditam inseruit *Mabillonius* Tomo i. Analct. p. 65. Fatenetur nunc omnes periti Critici, errasse *Vossium*, virum alioqui doctissimum, dum lib. 2. de *Scrip. Lat. c. xxxv.* hunc *Anastasium Bibliothecarium* confudit cum *Anastasio Presbytero Cardinali Sancti Marcelli*, & *Gregorii IV. Papæ Bibliothecario*, qui a Leone IV. in Synodo Romana exauditoratus est, eo quod contra Sacros Canones, Ecclesiam suam quinquennio deferuerit.

"(a) *Anastasium Bibliothecarium* scripsisse vitas Pontificum usque ad *Nicolau I.* communis olim opinio ferebat, modo vero ex inspectione veterum Codicum satis constat, paucorum tantummodo Pontificum vitas eidem auctori deberi. Est enim mihi ad manus Codex vetustissimus historiæ Pontificum, *Anastasio* multo antiquior, utpote paulo post *Adrianum I.* scriptus, quemadmodum scriptura ratione demonstrat, & vitæ Pontificum in eo Pontifice definentes indicant; quibus conjecturis accedit judicium *Mabillonii*, qui cum *Lucæ* esset, *Caroli Magni* auctore exaratum Codicem hunc affirmavit, descripsitque in suo itinerario Italico. In eo vero Codice vita Pontificum exdem leguntur, ac in *Anastasio evulgato*, si variantes quædam non magni ponderis excipiatis. Ex his ergo conficitur *Anastasium auctorem esse tantummodo vitæ Pontificum*, qui post *Adrianum I.* usque ad sua tempora vixerunt.

Guillelmus S. R. E. iridem Bibliothecarius scriptit Vitas Romanorum Pontificum a *Nicolao I.* Papa, in quo ut mox diximus, desit *Anastasius*, usque ad *Stephanum VI.* quem alii appellant *V.* Descriptit itaque *Vitas Hadriani II. & Joannis VIII. Marini, & Hadriani III.* Extant hæc Pontificum Romanorum Vitæ a *Guillelmo exarata* una cum aliis præcedentium Romanorum Pontificum Vitis ab *Anastasio* scriptis simul collecta & edita Parisiis anno MDCXLIX. atque in Conciliorum Editione insertæ. Afferit quidem *Baronius*, has Romanorum Pontificum Vitas, quæ Nicolai primi Papa vitam sequuntur, non *Guillelmo*, sed *Anastasio* esse adscriendas. Verum, hæc *Baronii* opinio falsi convincitur ex citato te-

stimoniō *Onuphrii* has vitas *Guillelmo* afferentis, & cui Viri docti fidem adhibendam esse affirmant, eo quod verosimile non sit, *Onuphrium* hoc litteris prodidisse, nisi ex fide aliquius manuscripti Codicis, quem penes se habuit.

Joannes S. R. E. Diaconus & Anastasi Bibliothecarii familiaris scripsit Vitam *S. Gregorii Magni* Pontificis Romani quatuor libris comprehensam, quam *Joanni VIII. Papæ* nuncupavit. Extat hæc Vita apud *Suriū* ad diem xii. mensis Martii, & in fronte Veterum Operum Sancti *Gregorii Magni* Editionum, sed in postrema & castigatissima Editione Operum Sanctissimi illius Pontificis a PP. Benedictinis Congregat. Sancti Mauri adornata, hæc Vita *S. Gregorii Magni* a *Joanne Diacono* concinata legitur in prima parte Tomi quarti.

Inter Scriptores Germanos, qui nonum Ecclesiæ s^{ec}ulorum eruditione & pietate nobilitarunt, quatuor præcipue numerantur, videlicet *Anscharius*, *Walafridus Strabo*, *Haymo*, & *Hatto*. Prior, seu *Anscharius Monachus* & postea Hamburgensis & Bremensis Episcopus, de quo sub finem Colloquii primi in Historiam hujus s^{ec}uli noni Sermonem habuimus, scripsit Vitam Sancti *Willibaldi Bemensis Episcopi* libris duobus comprehensam, quæ extat apud *Mabillonum* parte ii. s^{ec}uli iv. Benedictini. Scriptit etiam Epistolas plures, quæ perierunt, saltem publicam necdum lucem adspicerunt (a).

"(a) De Anchario nihil addendum succurrit, nisi quod ex ejus epistolis unica legenda supereft evulgata a Bollandianis sociis ad diem III. Februarii.

Walafridus Strabo & *Monacho S. Galli* factus Augiæ Divitiae Abbas librum edidit de rebus Ecclesiasticis, ubi aperte capite octavo contra Iconochos probat, cultum religiosum, honestum ac moderatum Sanctorum Imaginibus esse exhibendum, sicut diserte contra *Dallæum* evincit noster *Natalis Alexander* Dissertatione vi. in His. s^{ec}cul. viii. Præter hunc de rebus Ecclesiasticis librum, alia Opera edidit *Walafridus Strabo*, de quibus legendus est *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, & *Casimirus Oudinus* in supplemento Script. Eccles. Auctor etiam est *Walafridus Strabo* *Glossæ ordinariae* in Scripturam Sacram, quam ex aliorum Interpretum, ac præsertim *Rabani* præceptoris sui Commentariis studiose coligit. Hinc male *Trithemius*, & qui eum fecuti sunt, *Walafridum Strabonem Augiæ Abbatem* distinxerunt a *Strabone* Monacho Fuldensi, quem *Glossæ ordinariae* Scriptorem existimat, cum tamen *Walafridus Augiæ Abbas*, & *Strabo* Fuldensis Monachus idem omnino Scriptor sit. Qui error inde fortassis natu videtur, quod *Walafridus Augiæ Abbas* in Monasterio Fuldensti sub *Rabano Mauro* facris litteris operam navererit.

Haymo primum Monachus Fuldensis, dein Epiiscopus Halberstadiensis Commentarios in multis Scripturæ Sacra libros edidit, *Epitomen quoque Historiæ Sacrae*, & libros sex de amore celestis Patriæ; *Traictatum de Corpore & Sanguine Domini ab*